

Petrus de Vinea

*Ep. III 3 (Innatum uobis
placidae deuotionis affectum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 3 (Innatum uobis
placidae deuotionis affectum...)*

dicembre 1249

Panormitanis felicem statum suum significat, et quod de Lombardia rediit in Regnum.

1. Innatum uobis placidae deuotionis affectum, quem uestrarum litterarum series perlecta descripsit,... et... ac..., prouidi uiri uestrae uoluntatis interpretes coram nobis secretius expresserunt fauorabiliter prosequi. 2. Fidelitatis auctoritas illa nos allicit, quam generalitas antiquitus radicaui in Siculis, et specialiter gratifica propagauit in uobis. 3. Ac, licet non expediret nostrae serenitatis iudicia litteris aut nuntio uel uoce depromere, quae seruitiorum et operum rectitudo dilucidat et gratiam nostris affectibus actualiter representat, eo tamen liberius ad uniuersitatis uestrae commoditatem inducimur, quo, zelo piae deuotionis accensi, mandatis nostris semper annuitis et semper de personae nostrae successibus exquiritis recreari. 4. Ad haec igitur, nedum uos nostrum timere dominium, sed, quod est in subditis uirtus eximia, nostram uos affectuosius honorare personam probabiliter experimur. 5. Sicque ad nostra uos redditis uota prospicuos et per uos alios, tamquam per debitum, ad commoda nostra beniuolos inuocatis. 6. Ecce itaque petitionibus uestris, consona uotis nostris, de statu nostro noua describimus, quod faciente dextera Regis regum, corporali gaudemus beneficio sospitatis et corporis nostri menbra, dudum in Ytalicis partibus laboribus bellicis fatigata, Regni nostri quiete deliciosa reficimus et ad nostrorum detrimenta rebellium, statumque fidelium pacificum procurandum, continua, quin potius studiosa deliberatione, pensamus.